

*Quæcumque etc.* Quæ verba sunt generalia et intelligi possunt de omni vinculo quod homo potest contrahere erga Deum; 4<sup>o</sup>. ex ratione; si enim Deus dedit Ecclesiæ potestatem solvendi a vinculo culpæ et pœnæ, cur non etiam a voto? Auctoritas Lessii plurimi facienda et rationes allatæ maximi ponderis sunt. Unde hanc secundam sententiam priori præferendam esse censemus.

## TITULUS XXXV.

## De statu monachorum et canonicorum regularium.

1. Cum in præcedentibus titulis actum sit de votis in genere et de ingredientibus religionem, in præsentī titulo specificè agitur de observantia trium votorum solemnium quæ in religione approbata emittuntur. Cum vero tractatio hæc potius ad moralem theologiam spectet quam ad jus canonicum, hinc duo solum materiæ tituli evolvemus, seu tractabimus de voto paupertatis et de lege clausuræ monachorum. Quoad votum obedientiæ solummodo animadvertimus, in aliquibus congregationibus votorum simplicium abusus irrepsisse, ut ex dispositione regulæ præsertim religiosæ mulieres tenerentur propriam conscientiam Superiorissæ pandere. Ad istos abusus compescendos, teste Bizzarri, in sua *Collectanea pag. 832*. S. Congr. Episcoporum et Regularium 'minime solet approbare aperationem conscientiæ Superiorissæ, sed tantum permittitur, ut sorores, si velint, pandere possint defectus in regulæ observantia, et progressus quoad virtutes. De aliis enim ab eis agendum est cum proprio confessario'.

2. Hisce obiter notatis sermonem instituimus primo loco de observantia voti paupertatis. Qua in re animadvertimus indifferens esse an religiosum institutum possidendi sit capax, vel ex elemosynis et oblationibus manualibus vivat, semper enim singuli religiosi ex virtute emissi voti paupertatis possidere prohibentur. Ex quo sequitur, nullum religiosum etiam cum licentia Superioris habere posse proprie dictum peculium, quia abdicatio proprietatis adnexa est essentialiter regulæ monachali *c. 6. h. t.* Peccat ergo contra votum paupertatis religiosus qui etiam de Superioris licentia non quidem juridice, sed affectu et effectu tamquam sua retinet bona immobilia, vel census aut præstationes ordinarias sive in usum fructum, sive in usum, sive in administrationem privatam, sive in privatam commodum. Ita ex sensu *cap. 2. h. t.* ita etiam

ex Trid. *c. 2. sess. 25. De Reg.* et ex Const. Clem. VIII. 'Nullus omnino' quæ renovata fuit ab Urbano VIII. in sua Const. 28.

3. At relate ad administrationem animadverti potest 1<sup>o</sup>. sub hac prohibitione non comprehendi œconomum seu confratrem qui bona monasterii ex commissione et ad nutum Superioris et in commodum monasterii administrat *cit. c. 2. Conc. Trid. sess. 25. De Reg. et cit. c. 2. h. t.* 2<sup>o</sup>. Pariter religiosi ex licentia vel expressa vel præsumpta Superioris non prohibentur retinere res mobiles sibi necessarias et iisdem rebus uti, easque impendere in suos usus honestos et moderatos. Trid. in *c. 2. sess. 25. De Reg.* 3<sup>o</sup>. Si sermo sit de legatis relictis personæ regulari sive in bonis immobilibus, sive in annuis redditibus, hæc legata cedunt monasterio si capax sit possessionis. Hinc peccaret contra votum paupertatis tamquam proprietarius religiosus ille qui horum bonorum vel annuorum reddituum administrationem susciperet et in proprios usus converteret, vel in toto, vel in parte.

4. 4<sup>o</sup>. Idem dicendum de livellis, seu de annuis præstationibus quæ ex constitutionibus aliquorum monasteriorum præsertim Sanctimonialium fiunt pro singulis personis. Hæc scilicet livella debent a Superiore recipi et in capsâ communi conservari. Expendi autem potest pecunia livelli a Superiore in usus necessarios personæ religiosæ, quod vero superest, cedit in bonum monasterii. Cæterum persona cui livellum solvitur de licentia superioris aliquid in elemosynam vel in parvas donationes potest erogare. At hac in re sequens facienda est animadversio.

5. Quamvis perfecta vita communis non sit de essentia status regularis, tamen S. Sedes in votis habuit, ut ea observaretur. Pius IX. vero decreto edito *die 22. Aprilis 1851* hæc quæ sequuntur præscripsit per organum S. Congr. EE. et RR. Videlicet 1<sup>o</sup>. 'In omnibus Novitiatus domibus vita perfecte communis introducatur, et quæcumque indulta, privilegia, exemptiones familiæ illius individuis antea concessa derogata censeantur. — 2<sup>o</sup>. In domibus professorii, educationis et studii perfecta constitutionum observantia potissimum de paupertate revocetur. — 3<sup>o</sup>. In qualibet domo statuatur ærarium seu capsâ communis cum solitis cautelis, in qua a religiosis omnibus non obstante quolibet privilegio deponenda erit pecunia, cum nil eis penes se retinere licitum sit præterquam quod constitutiones respectivæ permittant'. Qua dispositionum gradatione optime intelligitur quid ad sensum S. Congr.

distinguendum sit. Tres siquidem ibi innuuntur leges ceu conditiones religiosi status essentielles ab omnibus observandæ 1º. ærarium commune seu capsula depositi, quin tamen aut exactæ vitæ communis aut perfecta constitutionum observantia urgeatur. 2º. Perfecta constitutionum observantia præscindendo tamen ab exacta vitæ communi, quam forte Constitutiones non præscribant: quod non omnes indiscriminatim urget, sed domus tantummodo Professorii, educationis et studii. 3º. Perfectius Religiosorum tyrocinium atque institutio quibus vitæ perfecte communis absolute præscribitur.

6. Præ oculis haberi possunt responsiones datæ ab eadem S. Congregatione ad postulata Fr. Joannis Decii Labois S. Congr. de Somascha qui petierat: 1º. 'An Religiosi qui in domibus professis congregationis communem vitam sponte professi sunt, et observant a Superioribus pro libito transferri possint in domus in quibus illa vitæ non observatur? — 2º. An Religiosus semel abstractus ab vitæ communis observantia et in domum illam non profitentem translatus in posterum ad eandem vitam communem capessendam a Superioribus cogi possit? — 3º. An majores ordinis Superiores qui vitam communem non profitentur, domus in quibus illa vitæ communis observatur, in locum residentia sibi eligere et ibi commorari possint? Ex audientia Sanctissimi die 1. Octob. 1852 Sanctissimus propositis dubiis rescribendum mandavit: Ad 1º Negative. Si vero aliqua gravis causa concurrat, recurat ad S. Congr. pro temporanea translatione. Ad 2º Quoad futurum provisum in primo: relate vero ad præteritum si translatio fuit provisorio, affirmative. Secus hortandos esse. Ad 3º Negative, nisi vitam communem profiteantur'.

7. Quoniam vero in nonnullis regionibus legislationes civiles post suppressos ordines regulares, singulos religiosos considerare cœperunt ceu totidem cives juris possidendi capaces, hinc S. Sedes speciales instructiones edidit pro conscientiarum directione. Sic habemus instructionem diei 1. Dec. 1820 pro regularibus Belgii confirmatam a Leone XIII. die 31. Julii 1878. Sic etiam pro Italia habemus instructionem S. Pœnitentiariæ diei 28. Junii 1866 et 18. Aprilis 1861, quas superius summarie retulimus.

8. Religiosus vero qui voto paupertatis sive quoad possessionem, sive quoad administrationem vel usumfructum aut usum juxta datam explicationem contraierit, dicitur esse proprietarius, et

pœnis canonicis religiosorum proprietariorum subicitur. Nempe 1º. qui inventus est proprietarius privatur voce activa et passiva per biennium c. 2. sess. 25. De reg. in Tridentino. 2º. Ex capite 2. h. t. removeri potest a communione altaris. 3º. In c. 3. h. t. post admonitionem regularem expellendum esse dicitur e monasterio. 4º. Religiosus qui in morte cum proprietate bonorum contra regulam sui ordinis repertus fuerit, quin eidem proprietati renuntiaverit, præsertim monitus a Superiore, caret sepultura ecclesiastica cc. 4. 2. 6. h. t. Religiosus insuper proprietarius subicitur pœnis peculiaribus comminatis in constitutionibus proprii ordinis.

9. Ad materiæ complementum sciendum est ex dispositione c. 6. h. t. peccare contra votum paupertatis etiam illum religiosum qui de licentia superioris nimias expensas faciat ultra id quod est necessarium, in luxum et pompam vestium et ornamentorum; adeoque religiosum hunc esse corrigendum, et si in abusu insordescat, depellendum esse e Monasterio.

10. Veluti appendicis loco aliquid dicendum remanet de regularibus qui legitime et habitualiter extra claustra commorantur. Et primo quidem

*De Regularibus qui ad Episcopatum promoventur.* Quæritur utrum et quomodo Episcopus regularis teneatur proprii ordinis regulam observare.

In decreto Gratiani refertur *can. un. Statutum Caus. 18. q. 1.* ubi legitur: 'Statutum est . . . ut Monachus, quem canonica electio a jugo regulæ monasticæ professionis absolvit, et sacra ordinatio de monacho Episcopum facit, veluti legitimus hæres paternam sibi hæreditatem postea jure vindicandi potestatem habeat . . . Posteaquam (vero) Episcopus ordinatur, ad altare (idest ad Ecclesiam) ad quod sanctificatur et titulatur, secundum sacros canones quod acquirere potest, restituat'. Ex tenore hujus canonis duo sequi videntur 1º. virum regularem promotum ad Episcopatum non amplius teneri ad observantiam regulæ cui sese per professionem sollemnem obligaverat; 2º. virum regularem quidquid acquirit post promotionem ad Episcopatum non sibi sed Ecclesiæ suæ acquirere. Hæc secunda conclusio uti certa retenta est, et retinetur, adeo ut, nisi Episcopus regularis indultum testandi obtineat a S. Sede non possit de bonis suis per actum ultimæ voluntatis disponere. Solummodo huic Episcopo DD. facultatem tribuunt ut ex Summi Pontificis licentia ob ipsam promotionem præsumpta, possit reditus

mensæ episcopalis et aliorum bonorum quæ fortasse acquisivit, in licitos et honestos usus impendere, prout exigit dignitas episcopalis. Quam rem ita exprimit S. Thomas in 2. 2. q. 88. art. 8. ad 3<sup>am</sup> Episcopus regularis 'nihil debet habere tamquam proprium, sed sicut dispensator communium bonorum Ecclesiæ'. Unde quoad substantiam Episcopus regularis tenetur voto paupertatis, licet in illius observantia aliquo modo differat a simplici religioso. Quoad votum castitatis perpetuæ, ridiculum esset leve etiam dubium movere.

11. Relate vero ad votum obedientiæ dicendum est, illud in se inspectum non resolvi per promotionem personæ ad Episcopatum, sed ejus observantiam urgeri non posse, quia Episcopus non habet amplius Superiorem regularem cui subjiciatur. Sed si Episcopus a sua Ecclesia recesserit sive ob privationem, sive ob renunciationem, sive quia non possit aut nolit residere in diocesi, redire debet ad claustra religiosa, et subesse Superioribus, et regulas observare tenetur. Ita ex Decreto Alex. VII. mox cit.

12. Quid vero dicendum de observantia regulæ ordinis religiosi? Non infimæ notæ auctor Andreucci *De Episcopo titulari part. 3. n. 163.* docet Episcopos regulares ad regulæ observantiam teneri ex sola decentia et honestate, et id probare conatur ex canone *statutum* superius relato. At S. Thomas in art. 8. q. 85. 2. 2. explicans canonem hunc *statutum* hæc habet: 'Ille qui de Monacho fit Episcopus absolvitur a jugo monasticæ professionis non quantum ad omnia, sed quantum ad illa quæ officio pontificali repugnant'. Quare DD. communiter tenent religiosum ad episcopalem vel Cardinalitiam dignitatem evectum substantialiter religiosum permanere. Conf. De Lugo *Resp. Moral. lib. 5<sup>o</sup>. dub. 12.*

13. Huic theoriæ adhærens Alex. VII. in decreto *diei 26. Julii 1662* super residentia Episcoporum confirmato a Clemente XI. *ann. 1715* et extenso ad Episcopos regulares in Vicarios Apostolicos, administratores et visitatores deputatos 'decernit insuper et declarat Sanctitatis suæ mentem nequaquam esse, eosdem Episcopos, si regulares fuerint, ab obligationibus professioni regulari, quam emiserunt, adnexis per adeptionem dignitatis, ac muneris episcopalis ullatenus absolvere ac eximere nisi quatenus ejusdem muneris, ac curæ pastoralis exercitio impedimenti sit'. Accessit Constitutio *Custodes Benedicti XIII. die 7. Martii 1725* ubi

hæc habentur: 'Statuimus, atque sancimus, ut ex monastico, regulari et mendicantium instituto ad episcopalem seu quamcumque aliam dignitatem et S. R. E. Cardinalatum jam evecti et in posterum evehendi, universis et singulis suæ regulæ officiis et obligationibus quæ pontificale sive cujusque alterius dignitatis aut Cardinalatus officium minime impediunt perpetuo subsint . . . ac proinde sui monastici ordinis, sive alterius regulæ mendicantium insignia et propria indumenta lanea suoque peculiari colore distincta, rasilem quoque . . . coronam præferant quibus antea . . . ex solempni sua professione . . . tenebantur, a cujus professionis obligatione . . . neutiquam absolvuntur . . . Propterea hujusmodi Episcopis in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus et mandamus ut omnia et singula præsentibus literis nostris hætenus recensita undequaque observare non differant. Si vero . . . hoc agere contempserint, vel neglexerint, eos pœna suspensionis ab exercitio pontificalium ipso facto incurrenda tamdiu innodatos declaramus donec . . . relaxationem . . . meruerint obtinere'.

14. Tandem teste Card. Bizzarri in *Collectanea pag. 773* proposito dubio 'An et quomodo Episcopus regularis teneatur ad observantiam regulæ suæ professionis' Sacra Congr. EE. et RR. *die 6. Maji 1864* respondit 'affirmative ad præscriptum Const. Ben. XIII. incip. *Custodes*: nempe Episcopus Regularis tenetur observare regulas suæ religionis, quæ materiam voti paupertatis determinant; item tenetur alias regulas et observationes dignitati et officio episcopali non repugnantes, eadem obligatione gravi vel levi observare, qua tenebatur antequam assequeretur dignitatem episcopalem, ita tamen ut in peculiaribus casibus prudenter judicium ferre possit, utrum cum dignitate et officio episcopali illæ convenient'. Hæc resolutio probata fuit eadem die *6. Maji 1864* a Summo Pontifice Pio IX. Ex hisce omnibus optime noscitur quænam sit obligatio circa regulæ observantiam qua Episcopi religiosi tenentur.

15. *De Religiosis qui ex Indulto Apostolico vivunt in sæculo.* Indultum quod dicitur sæcularisationis solet concedi vel ad tempus, vel in perpetuum. Religiosus qui ad tempus ex concessione S. Sedis degit extra claustra, remanet verus religiosus et quidem aliquando indultum conceditur sub conditione retinendi habitum proprii ordinis, aliquando autem conceditur licentia dimittendi vestem regularem. Hæc vero in secunda hypothesis religiosus debet sub vestibus sæcularibus aliquam partem religiosi habitus singularis gestare. In utroque

autem casu religiosus ita dimittitur ut tempore quo moratur extra claustra subjiatur Ordinario *in vim etiam voti solemnis obedientiæ*. Hinc quoad istos religiosos ratio vitæ regularis parum immutatur et bona quæ congregant cedunt propriæ religioni quemadmodum patet ex resolutione *diei 19. Januarii 1829* Congr. specialis deputatæ a Leone XII. et approbatæ a Pio VIII. *die 26. Junii ejusdem anni*. Si autem sermo sit de religiosis in perpetuum sæcularisatis, istis conceditur indultum manendi in sæculo quoad vixerint in habitu presbyteri sæcularis, si sint in sacris ordinibus constituti, vel in habitu decenti si sint tantum clerici, vel conversi. Sequens vero clausula injungitur: 'Retento interius aliquo sui regularis habitus signo . . . ita tamen ut substantialia votorum suæ professionis cum statu compatiblea observet, et sub obedientia Ordinarii etiam in vim voti religiosi vivat'. Quod si agatur de religiosis laicis vel etiam de clericis, qui in sacris ordinibus non sint constituti additur alia clausula, nempe firmo voto castitatis.

16. In ordine ad hujusmodi indultum merito adnotat Card. Bizzarri in *Collect. pag. 775*. 1º. Perpetuo sæcularisatos considerari ceu personas perpetuo abscissas a sua familia regulari. 2º. Istos sæcularisatos teneri ad observandum votum castitatis, et ad observanda substantialia aliorum votorum. 3º. In indulto non injungi sæcularisatis observantiam regulæ ordinis religiosi. Quare si in professione præter tria vota communia, religiosus quartum votum emisit ex. gr. votum abstinentiæ a carnibus, post sæcularisationem substantialiter illud observare debet, non vero debet observare jejunia quæ a regula præcipiuntur, sed non fuerunt objectum specificum voti. Et ratio est quia vota directe obligant personam et per consequens eandem comitantur etiam post egressum a religione: e contra præcepta regulæ obligant personam, quatenus ad regularem familiam pertinet. Igitur post egressum legitimum personæ ab ordine religioso, cessat quoad personam illam obligatio præceptorum regulæ ordinis propriæ. 4º. Quoniam perpetuo sæcularisati servare debent votum paupertatis in substantia, hinc ipsos posse utique bona, si quæ possident, in honestos et licitos usus adhibere, et præsertim in propriam sustentationem erogare, at eorundem bonorum verum dominium non habent, ac per consequens sine licentia S. Sedis de iis libere et præsertim causa mortis disponere nequeunt, sed cedunt Cameræ spoliiorum ut supra vidimus in tit. *De pecul. Cleric.* 5º. Sæcularisatos absque indulto

Sedis Apostolicæ assequi non posse beneficia ecclesiastica. Continent enim verum jus percipiendi suosque faciendi fructus temporales.

### De lege clausuræ.

17. Nomine clausuræ venit totum illud spatium quod muris seu septis monasterii clauditur. Hanc clausuram utpote maxime conducentem ad observantiam regulæ monasticæ vehementer tuetur lex ecclesiastica. Primo loco agemus de clausura monialium deinde virorum. Et quoniam infringi potest lex clausuræ sive per egressum monialium e monasterio, sive per ingressum personarum extranearum: hinc primo agemus de egressu monialium e monasterio.

18. De hoc egressu agit *c. un. h. t. in 6º*. quod renovatum est a Conc. Trid. in *c. 5. sess. 25. De Regul.* In istis locis decernitur 1º. Episcopum obligari sub gravi ad procurandam observantiam legis clausuræ ubi clausura adest, et ad eam restituendam, ubi fuerit violata. 2º. Decernitur ut in monasteriis sibi subjectis Episcopus auctoritate propria, in exemptis vero procedere possit auctoritate Apostolica. 3º. Ut Episcopus possit contra inobedientes et contradictores censuras et alias pœnas decernere, quacumque appellatione postposita et invocare etiam brachium sæculare. 4º. Ut nulla ex monialibus possit egredi ex monasterio post professionem etiam ad breve tempus nisi ex aliqua legitima causa approbanda ab Episcopo.

19. Hæc vero causa probari debet ab Episcopo in scriptis etiam in monasteriis exemptis ita ut licentia Superioris regularis monasterii non sufficiat. Quare in monasteriis exemptis concurrere debet licentia superioris regularis et Episcopi. Ita in Const. S. Pii V. *Circa Pastoralis*, et in alia Const. subsequenti *Decoris 1. Febr. 1570*. In hac insuper Const. *Decoris* causæ egressus monialium a monasterio ad tres reducuntur: 1º. magnum incendium; 2º. lepram; 3º. epidemiam. Porro ex declaratione S. Congr. EE. et RR. *mensis Sept. 1720* Archiepiscopo Avenionensi transmissa, patet sub appellatione epidemiæ venire morbum contagiosum, quo aliqua monialis laborat. Unde monialis hæc ne alias inficiat egredi potest e monasterio. Quare epidemia generalis in civitate vel oppido, et timor ne morbus propagetur, et moniales etiam afficiat, causa egressus monialium a monasterio esse non potest. Conf. Card.

Bizzarri in *Collect. pag. 345.* Si quærat utrum taxative vel demonstrative tantum fuerint hæ causæ designatæ, variant DD. sed ex praxi S. Congr. EE. et RR. patet causas præfatas fuisse demonstrative designatas.

20. Quod si illegitime egressa fuerit monialis, decernit Pontifex pœnam excommunicationis Papæ reservatæ tum in ipsam egredientem, tum in concedentes licentiam, concomitantes, receptantes. Porro ex declaratione S. Congr. Conc. in *Comen. et Licien. 16. Sept. 1709* hanc excommunicationem incurrit monialis ascendens supra tectum Monasterii; censetur enim esse extra ambitum et limites clausuræ. Insuper S. Pius V. in eadem Const. contra monialem illegitime egredientem et superiores vel præsidentes illegitime concedentes licentiam decernit pœnam privationis ipso facto incurrendam officiorum et administrationum, necnon pœnam inhabilitatis ad illa officia et administrationes, et ad alia hujusmodi obtinenda. In Const. autem *Apostolicæ Sedis* renovatur pœna excommunicationis latæ sententiæ Papæ simpliciter reservatæ contra moniales exeuntes e clausura extra casus et formam a S. Pio V. in Const. *Decoris* præscriptam.

21. Verum animadvertunt DD. ex defectu licentiæ non incurri descriptas pœnas quoties periculum est in mora, et res ulteriorem dilationem non patitur juxta regulam *c. 3. De verb. sign. in 6º. § nec quidquam* 'ab omni lege extrema necessitas est exempta'.

De ingressu extranearum personarum in Monasteria.

22. In *c. un. h. t. in 6º.* interdicitur ingressus in monasterium monialium inhonestis personis absolute, et honestis nisi rationabilis et manifesta causa verificetur, et adsit præterea licentia Superioris. Conc. Trid. in *cit. c. 5. sess. 25. De Reg.* sub pœna excommunicationis latæ sententiæ prohibet ingressum in monasteria monialium omnibus cujusque generis, conditionis et sexus et ætatis absque licentia Episcopi vel superioris in scriptis obtenta. Hæc porro qualitas disjunctiva quoad monasteria exempta sublata est a decreto Congr. Concilii approbato ab *Urbano VIII. diei 13. Nov. 1620.* Hinc Episcopi et Superioris simul licentia requiritur, nisi consuetudo ferat ut a solo Ordinario exposcatur licentia, ex alio decreto approbato ab eodem Pont. *diei 21. Maji 1621.*

23. Porro excommunicationem latæ sententiæ superius dictam reservarunt Papæ Const. *'Ubi gratiæ'* Greg. XIII. *13. Junii 1575*

et Const. *Monialium* Pauli V. *diei 10. Julii 1602.* In hisce Const. pœna excommunicationis expresse statuitur contra quoscumque etiam marchionali et ducali dignitate fulgentes, qui prætextu privilegiorum, quæ revocantur, septa monasterii ingrediuntur. Insuper gravissimæ pœnæ excommunicationis et privationis dignitatum, officiorum et beneficiorum latæ sententiæ, et inhabilitatis decernuntur contra superiores immediatos conventus introducentes quascumque personas. Constit. autem *Apostolicæ Sedis n. 6º.* renovat indefinite pœnam excommunicationis latæ sententiæ simpliciter reservatæ S. Sedi contra lædentes clausuram monialium ingrediendo absque legitima licentia monasteria monialium nec non eos introducentes vel admittentes.

24. Quærent doctores an pœnæ in istis constitutionibus statutæ etiam feriant introducentes pueros et puellas non habentes usum rationis.

Videtur probabilior affirmativa sententia præsertim quia hæ constitutiones sunt ampliatiæ dispositionis Tridentinæ *cit. c. 5.* in qua interdicitur ingressus personis cujusque ætatis. Et quidem Mattheucci *Official. Curia cap. 32. n. 22.* plura decreta S. Congregationis affert, quæ in hoc sensu loquuntur.

25. Ex encyclica autem Bened. XIV. *Per binos 24. Jan. 1747* ad *Episcop. Portugalliens.* per modum legis statuitur non posse admitti in monasterium puellas educandas vel famulas, nisi de licentia S. Sedis toties quoties reposita. Ex Const. Greg. VIII. *Dubiis 23. Dec. 1581* de jure observandum est, ut prælati tum sæculares sive Episcopi, sive Cardinales, tum regulares ingrediantur monasterium in causis necessariis, et cum paucis personis senioribus et religiosis.

26. Ex Const. Alex. VII. *Felici 10. Nov. 1664* prælati regulares non possunt ingredi claustra monasterii monialium sibi subiecti 1º. nisi semel in anno ex causa visitationis faciendæ per seipsum, complendæque una die, post solis ortum ad solis occasum. Visitatio autem personalis faciendæ est ad crates extra claustra monasterii. 2º. Si pluries in anno ingredi debeant Monasterium, debent id agere cum Episcopo, ac persona ecclesiastica ab eodem deputanda. 3º. Confessarii sive ordinarii sive extraordinarii possunt ingredi solummodo ad conferenda Sacramenta infirmis monialibus, vel ad animæ commendationem, et debent secum adducere

socium maturæ ætatis et probatæ vitæ. Ratione necessitatis possunt ex sola licentia Abbatissæ ingredi monasterium medici, chirurgi, operarii et opifices. Tandem quoad ingressum in monasterium monialium præ oculis haberi debet Const. *Salutare Bened.* XIV. 3. Jan. 1742 § 3. ubi sub pœnis supra relatis interdicitur hujusmodi ingressus quibuscumque personis etiam S. R. E. Cardinalibus, exceptis locorum Ordinariis, aliisque superioribus, quibus tamquam Ordinariis monasteria subjecta sunt in casibus necessariis, et servatis aliis de jure servandis.

27. Ad hujus materiæ complementum animadvertimus clausuram aliam esse papalem, aliam episcopalem. Clausura papalis locum habet in Monasteriis monialium, in quibus adest solemnitas votorum, adeo ut positis votis solemnibus, clausura de jure subjiatur protectioni, et tutelæ S. Sedis. Const. S. Pii V. *Circa pastoralis officii* et S. Congr. EE. et RR. in *Policastrensi diei 6. Dec. 1839. Collect. Card. Bizzarri pag. 96.* At non desunt exempla domorum religiosarum votorum simplicium, quibus ex speciali dispositione S. Sedis imposita est lex clausuræ papalis. *Collect. loc. cit.* — In genere autem clausura episcopalis locum habet in domibus religiosis votorum simplicium, quoties ab Episcopo alicui ex istis domibus clausuræ lex fuerit præscripta. Differentia autem inter papalem et episcopalem clausuram in eo posita est, ut in papali clausura S. Sedes tantum non autem Episcopus dispensare possit, dum episcopalis clausura ab Episcopo dependet. Quare posita clausura papali Episcopus tantum in casibus expressis in jure dispensare potest, in aliis requiritur licentia S. Sedis, tum quoad egressum monialium tum quoad ingressum personarum extranearum in monasterium.

#### De clausura virorum.

28. Clausura virorum quoad egressum ex Const. *Nullus* Clementis VIII. super reformatione regularium consistit in eo ut nullus religiosus e septis monasterii absque licentia superioris, et accepta benedictione exire audeat. Contravenientes gravi pœna etiam carceris arbitrio superioris plectuntur. Animadvertunt vero DD. sufficere licentiam rationabiliter præsumptam Superioris, nec egressum sine licentia si fiat absque contemptu et scandalo lethalis peccati reitatem secumferre. Quisque autem intelligit nos hic non loqui de fugitivis et apostatis qui certe rei sunt gravis culpæ.

29. Clausura monachorum quoad ingressum in eo sita est, ut in monasteriorum septa mulieres omnes ingredi prohibeantur etiam prætextu cujuscunque privilegii concessi ante S. Pium V. et Gregorium XIII. Nam revocantur hæc privilegia ab istis Pontificibus, a S. Pio V. in Bulla *Regularium personarum* et subsequente ejus declaratione *Decet Romanum Pontificem*, a Greg. XIII. in Const. *Ubi Gratia.* Ex quibus Constitutionibus patet omnes et singulas mulieres sive ex prætextu privilegii, sive absque titulo privilegii ingredienti, et ipsos religiosos introducentes incurrere pœnam excommunicationis latæ sententiæ; religiosos istos insuper introductes mulieres incurrere pœnam privationis officiorum quæ habent, inhabilitatem ad alia obtinenda, nec non suspensionem a divinis. De hac suspensione tacet Const. *Apostolicæ Sedis*, quæ tamen inter excommunicationes simpliciter reservatas R. Pontifici sub n. VII. recenset excommunicationem contra 'Mulieres violantes regularium virorum clausuram et Superiores aliosque eas admittentes'.

#### TITULUS XXXVI.

#### De religiosis domibus ut Episcopo sint subjectæ.

1. In sensu tituli arg. *cc. 4. et fin. ejusd.* sub appellatione *domus religiosæ* venit locus pius erectus auctoritate Episcopi licet non consecratus: scilicet monasteria, xenodochia pro peregrinis, nosocomia pro infirmis, domus pro puerorum vel puellarum educatione, confraternitates, congregationes et in genere loca pia ad caritatis vel religionis opera exercenda, quæ fuerint auctoritate Episcopi instituta. Ex ipsa rubrica tituli quæ sensum habet determinatum et ex *cc. 3., 6., 7. et 8. h. t.* de jure communi Episcopus, qui nativo jure moderatur opera caritatis et religionis in sua diocesi, præest religiosis domibus; seu religiosæ domus subjiuntur jurisdictioni Episcopi. Hæc vero subjectio consideratur 1º. relate ad erectionem; 2º. relate ad modum existendi seu regimen earum.

2. Erectio, seu fundatio, aut ædificatio locorum religiosorum fieri debet cum interventu auctoritatis Episcopi *c. 4. h. t.* Hinc privatus homo poterit motu proprio erigere hospitale, sed religiosus locus non erit, nec immunitate aliisque privilegiis locorum piorum gaudebit, nisi Episcopi auctoritas intercesserit. Ita communiter DD. Aliquid vero dicendum de locis religiosis pertinentibus ad instituta Regularium. De erectione novorum monasteriorum sta-